Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8308
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

iustificemur. At ubi venit fides: iam non sub pedagogo sumus. Omnes enim filii dei estis: per fidem que est in christo ihesu. Quicumque enim in christo baptizati estis: christum induistis. Non est iudeus neque grecus: non est servus neque liber: non est masculus neque femina. omnes enim vos unum in christo ihesu. Si autem vos christi: ergo semen abrahe estis secundum promissionem heredes. Dico autem. Quanto tempore heres parvulus est: nichil differt a servo. cum sit dominus omnium. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad prefinitum tempus a patre. Sequencia

Letabundus exultet fidelis chorus alleluia.
Regem regum intacte profudit chorus res miranda.
Angelus consilii natus est de virgine sol de stella.
Sol occasum nesciens stella semper rutilans semper clara.
Sicut sydus radium profert virgo filium pari forma.
Neque sydus radio neque mater filio fit corrupta.
Cedrus alta lybani conformatur ysopo valle nostra.
Verbum ens altissimi corporari passum est carne sumpta.